

Perillustri, Praecellens ac Clarissime Domine,
 Fautor et Amice Colendissime!

Postulatis Celeberrimae Academiae Vestrae absque mora satisfacere conatus sum, dum die 20 Julij 1799 stylo novo Tuae Praecellenti Dominationi epistolam misi, qua Te certiore faciebam, me propediem Wiennam cum Manuscripto ad Excellentissimum Dominum Comitem de Razumoffsky Legatum Imperialis Aulae Russicae profecturum, quod et factum est, atque die 29 Julij eidem memoratum Manuscriptum Eclipsium O et C ad annum usque 1860. reverenter tradidi, ut proximo curru veredario Petropolim promoveretur.

De eadem expeditione cum peracta alia epistola die 4. Augusti Wienna missa et Tuae Praecellenti Dominationi inscripta relationem dedi, atque rogavi, ut Honorarium promissum centum aureorum ad Excell. D. Legatum mitteretur, de cujus Wiennam transportatione ab Eo certior redditus, dispositionem, ut ad me perferatur, me initurum perscripsi.

Ast nunc tertius ab initio hujus nostri negotij Litterarj mensis labitur, cum nihil responsi ad me perferatur; hinc est, quod Praecellentem Dominationem Tuam perhumaniter requiram et rogem, ut certior reddam, num epistola citate ad Te delatae sint, et quid obicis sit, quod ad me nihil responsi mittatur?

14
Interim, ut promisi, opus prosequor, et Eclipsibus calculandis, quae in ☉ et ☾ celebratae sunt, ultra annum 1860. incumbo, quo meo conatu, ut Celeberrimae Academiae Vestrae complaceam, omnino collimo.

Manuscripti mei edendi aliquam mentionem Novellis Pragensibus inseri curavi, cumq. id ipsum Inclita Academia sibi vindicare dignata sit, pro honore ejusdem historiolum hanc per eandem Pragenses novellas promulgari curavi, cujus hic exemplar, et alterum typis excusae magnae Eclipsis ☉ 1804. accludo.

Astronomus Pragensis D. Antonius Strnad hydrope diu vexatus die 23 Septembris morte evivis expletus est. Vir solers in observationibus instituedis, sed in praedicendis futuris in coelo eventibus usque calculandis omnino nullus. Sed et, quod admodum mirum, nullus in Germania de Astronomo legitur, vel innotuit, qui ad complures futuros annos Solis vel Lunae Eclipses praedixisset et calculasset, sed ijs prophetijs omnes contentantur, quae in Ephemeridibus astronomicis Parisinis vel Londinensibus conspiciuntur, quin vel pro crastino alius calculus ineatur. Asserti hujus insoliti evidens testimonium reddunt ea copiosa astronomica subsidia, quae Celeberrimi quique Astronomi Dno Bode Berolinum singulis annis mittere consueverunt, et quae fideliter ab eodem recensentur,

ast nullus eorum comparet, qui vel unam Eclipsim solarem vel lunarem calculo suo et typo pro uno vel pluribus locis definitivisset praevis, et antequam similia artefacta in aliorum Ephemeridibus spectarentur

An non admiratione dignum, dum et Celeberrimus Germania Astronomus Dñij de Zach, qui apud D. Bode semper suis subsidijs copiosissimus est, nullum calculum futurorum in coelo phaenomenorum praemittatet typis edat? Ego sicut hujus et aliorum hoc in argumento silentium ignorantiae adscribere non ausim, ita quid ejusmodi parsimonicae causae sit, asequi nulla ratione possum, ut ea de ratione Tuam censuram in hoc rei astronomica neglectu exoptem et expelam.

In Saxonia et praesertim Lipsia copiosi Astronomiae cultores numerantur, verum in praxi haud Eximij esse probantur, utpote qui necdum in Quantitate arcus sui Elevationis Poli conveniunt, minus ab eis quidpiam in coelo eventuri editum conspiceret licet.

Ne diutius Lectione molestus sim, a scribendo cesso et superiorem petitionem humanissime repeto ac benevoluntarium responsum expecto dum singularem Venerationem et Illustrissimo Baroni de Nicolai et Clarissimo Domino de Euler ac Toti Inclytae Academiae testatam reddo

Tuae Praecellentis et Perillustris

Dominationis

Sigb Litonisch l'ij Bohemiae
districtus Chrudimensis
8. Octobr. 1799.

Obsequentis Venerator
D. Ignatius Kautsch S.P.
emeritus Capellan. Cas. Cas. Rey
mpt